

tionem de spirituali liberatione per Christum præstandam, ad confirmandam fidem Israelitarum.

4. Genus definitionis est alterum Vet. Test. Sacramentum.
5. Differentia sumitur à quatuor causis, quas ordine expèdemus.
6. Efficiens vel principalis est, vel administra.
7. Principalis est Deus, Num. 9, 1. 2. & seq.
8. Administra, ante institutum collegium Leviticum, paterfamilias erat, ut non obscure innuitur, *Exod. 12, 6.* At postquam Sacerdotium Leviticum à Deo ordinatum est, verisimiliter dicitur, Levitas agnum Paschalem præparasse. Vide Tostatum, Cornelium à Lapide, Bonfrerium, in *cap. 12. Exod.*
9. Materia subjecta est res terrena, & res cœlestis.
10. Res terrena est, agnus integer, masculus, anniculus, *Exod. 12, 5.*
11. Res cœlestis est Christus, agno Paschali Vet. Testamenti adumbratus, *1. Cor. 5, 7.*
12. Objectum hujus Sacramenti, seu qui ad illud manducandum admitti debuerunt, fuerunt ortu & religione Judæi, mares pariter & fœminæ; adde & profelytas, post susceptam Circumcisionem. Excludebantur ergo Profelytæ non circumcisi, *Exod. 12, 24.* & qui immunditie Levitica contaminati erant, *Num. 9, 10. 11.*
13. Forma consistit in actionibus Sacramentalibus, nempe in agni segregatione, mactatione, asfatione, manducatione, & sanguinis aspersione.
14. Segregari debuit agnus, & peculiariter asfervari, 1. ad præfigurandum Christum, qui fuit agnus immaculatus, segregatus à peccatoribus, *Hebr. 7, 26.* 2. Ut exploraretur, num vitio laboraret. 3. Ut domestici de digna præparatione ad Sacramenti celebrationem admonerentur.
15. Mactari debuit agnus, ita ut copiosus sanguis efflueret, nec ullum os illi comminueretur. Hoc ipso adumbratus fuit Christus, pro nobis in ara crucis mactandus, *Rom. 3, 25.* cujus crura, ad implendam scripturam, non sunt fracta, *Job. 19, 36.*
16. Asfati imperabatur agnus, ut indicaretur, Christum, tum in horto, tum in cruce, à divina ira fuisse torrendum, *Luc. 22, 44.*
17. Manducari debuit agnus certis circumstansiis. 1. Festinanter